

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Pulvillos Et Pepla Prophetissarum

**Schmidt, Johann Andreas
Trumph, Heinrich Wilhelm**

[S.l.], 1713

VD18 11649178

§. 4.

[urn:nbn:de:bsz:31-130600](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130600)

virum seu ſœminam, ſepultum fuiſſe intra mœnia Hieroſolymæ, excepta domo Davidis, præter hanc ſolam. Cui denique non notum eſt vaticinium Joelis 2. v. 28. quo Deus non filiis duntaxat, ſed & filiabus donum prophetiæ, temporibus Meſſiæ, conferendum promiſit. Arbitrantur quidem aliqui genus illud prophetarum ordinarium in utroque ſexu jam ceſſaſſe ante exortum Meſſiam, id quod etiam concedit Lightfootus in horis hebraicis ad Luc. 2. 36. p. m. 738. cum per quatuor annorum retro centurias aut circiter, ne unus quidem iſto nomine dignus fuerit; licet judaici ſcriptores honorifico iſto titulo nonnullos cohonestent. Nihilominus appropinquante aurora evangelii hoc donum ſe iterum exeruiſſe recte judicat. Taceo nunc Mariam matrem Domini ejuſque cognatam Elifabetham, Spiritu Sancto impulſas, & mentionem duntaxat facio Annæ Phanuelis filiæ, quæ expreſſe Luc. 2. v. 36. fuit ornata nomine prophetiſſæ, quæ de Chriſto loquebatur omnibus, qui exſpectabant redemptionem Hieroſolymis. Huic adhuc jungimus quatuor filias Philippi evangeliftæ, quæ erant virgines prophetantes Act. 21. v. 8. id eſt, quæ non tantum inſignem peritiam interpretandi ſcripturas, ſed etiam facultatem futura prædicendi habuerunt. Neque per proxima ſæcula poſt Chriſtum natum ſtatim ceſſaſſe prophetiæ donum, tot ſanctorum patrum oſtendunt teſtimonia, quæ penitus rejicere nemo audebit. Conf. Herm. Witſius Miscellan. ſacr. lib. 1. cap. 23. ſeqq.

§. 4. Uti vero id extra omne dubium eſſe poſitum jam deduximus, quasdam mulieres utriuſque Teſtamenti tempore, fuiſſe prophetiſſas, Spiritu ſancto impulſas, ſic & nonnullas hoc habuiſſe commune cum viris prophetis, ſed falſis, certum eſt, ut ſua ſomnia populo pro verbo Dei vulerint obtruſa, malo agitata ſpiritu. Memorabo illas duntaxat, quæ ſeculo poſt Chriſtum nato ſecundo nomen aliquod in-

B

ter

ter suos sibi acquisivere. His tamen non annumeramus Marci mulierculas, quas eleganter veteres dixerunt inani spiritu calefactas. vid. Epiphanius hæref. 24. p. 233. Iren. adv. hæf. 19. p. 71.) sed Philumenam, divinitus, ut credebat Apelles, referente Augustino hæresi 24. p. m. 137. inspiratam ad prænuncianda futura. Hanc excipiant Prisca & Maximilla Montani sociæ, opinione spiritus prophetici inebriatæ. Maximilla præcipue de ipsa est ausa prædicare: *Post me nulla amplius erit prophetissa, sed finis sequetur.* Vid. Ephiphanius, hæref. 48. p. 413. Hæc ibidem more falsorum prophetarum ad Dominum provocavit: *me quidem non audite, Christum audite,* his quoque subjicit: *Dominus me misit laboris hujus ac professionis & fœderis velut secta antistitem, & enarratorem & interpretem & quidem ad percipiendam Dei notitiam, vellem nollem, majori quadam necessitate compulsam.* Hæc ipsa est, quæ Tertulliano, viro gravi atque austero, ita imposuit, (lib. de anima cap. 9. ut eam crediderit revelationum habere charismata, conversari cum angelis, interdum etiam cum domino. Plures ex aliis quoque seculis possemus adducere prophetas, si nostri id esset instituti. Sed istæ sufficiant, ut saltem constet & veros prophetas olim habuisse oppositos falsos prophetas, & prophetissas divinitus impulsas vidisse firmias, spiritum propheticum, sed nullo jure jactitantes. Tales etiam fuisse filias illas, contra quas Ezechiel faciem suam dirigere debebat, arguit illa descriptio, qua dicuntur *prophetantes de corde suo.* Hac ipsa enim phrasi sub initium hujus capituli prophetas falsos delineaverat, qui & alibi quoque hoc caractere exprimentur. Jer. 14. v. 14.

§. 5. Atque his prophetissis graves indicabantur comminationes, eam ob causam, quod, juxta versionem vulgaram, consuant pulvillos & cervicalia. In textu originali duæ occurrunt voces כסתות & כספחות, quæ nusquam nisi

in